



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt LV. S. Pavli Collegivm Leodiense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

## CAPVT LIV.

MAGDEBURGENSE COLLEGIVM  
*Metropolitanum in Germania.*

**C**Anonicorum collegium à VVitikindo Saxonum Principe fundatū in VVestphaliæ opido Angauia ( vbi hodie Principis illius monumentum visitur) Henricus Aucups in agri Luneburgensis opidum *Vallerleben*, præfecto Marco Episcopo, transtulit: inde Otho I. Imperator, Aucups filius Magdeburgum traduxit, & Archiepiscopatui anno 967. à se constituto adiunxit. Primus Archiepiscopus fuit *Albertus*, ex Treuerensi, S. Maximini cœnobio euocatus, cuius successores vsque ad annum Christi 1560. Albertus Cranthius enumerat. Dictum Albertum Benedictus VI. Pont. Max. ad Germaniæ Archiepiscopos scribens, Germaniæ Patriarchā nominat. De rebus Magdeburgensibus exstat Andreæ VVernerii Chronicon Magdeburgense.

Alij ex Adamo Chronographo tradunt Episcopatum Magdeburgensem, anno 971. fundatum fuisse.

## CAPVT LV.

## S. PAVLI COLLEGIVM LEODIENSE.

**A**Nno ICCCCCLX. Eraclius post Baldricum Episcopus Leodicensium factus: duo in vrbe  
*Leodicensi*

*Leodicensi monasteria construxit, ad titulum Sancti Pauli Apostoli, & ad titulum sancti Martini Episcopi. Ita Sigebertus in Chronico.*

Instituit autem Heraclius Canonicos viginti, quibus decem alios Notgerus Episcopus adiecit; ut ex historia vitæ eius constat; in qua sic legitur: *Ecclesiam Sancti Pauli à fenestris supra consummauit, & bonis adiectis, ubi viginti tantum erant Canonici, triginta perfecit.*

Aegidius Bucherius in Chronico suo tradit templum istud Sancti Pauli ab Eraclio siue Eueracro anno Christi 967. inchoatum fuisse.

## CAPVT LVI.

*S* EVERMARI COLLEGIVM RV-  
*thense in d. Leodiensi.*

**S** Euermarus Martyr fuit nobilis Friso, qui succrescentibus cum ætate meritum virtutibus, ad sancta loca peregrinabatur. Cumque Traiectum iret ad Sanctum Seruatium, diuertit in territorio Tungrorum apud Hacconem quendam in filua Harsclapia, cum septem suis Comitibus: Qui, ut erat tyrannus, beatum virum cum dictis comitibus interfecit. Honoratur verò inter Dei Martyres à Rathensi Ecclesia, & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis Sacrum corpus defertur. Ossa eleuauit circa annum 968. Heraclius E-